



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mechlinia Illustrata Luce Miraculorum S. Francisci Xaverii  
Orbis Utriusque Solis Ac Thaumaturgi Chronicis Distichis  
evulgata Anno M.D.C.LXVI.**

**Grumsel, Gérard**

**Mechliniae, 1666**

Admonitio Ad Lectorem

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11918**

# ADMONITIO AD LECTOREM

MIRABILIS DEVS IN SANCTIS sVI  
MIRABILIS DEVS IN ACTIS sVI.

**H**ec! quid molimur mortales? quid divinamus vates? quando inexorable Dei decretum est, & omnia versat susque deque adamante scripta fatorum lex. Concinnaveram nuper breuem quandam epitomen; eaque perstrinxeram Thaumaturgi nostri Mechliniensis res ibi praeclarè gestas hoc postremo sexennio; dignas plane Chronicis immortalibus, & stylo magis defacato. Adscriverram mihi in Mecenatem, hei! Illustr. <sup>mum</sup> Dominum Mechliniensium Antistitem, Dominum, inquam, Andream Cruesenum, ut uno quasi intuitu recognosceret, que & ipse expertus esset, & apposito sigillo ple- raque definitisset Xaveriana Miracula. Illi Societas universa pro singulari in se munificentia Iliadem debebat gratiarum, & hoc ipsi quale quale gratitudinis parabat hostimentum; suo quidem affectu quam maximum, sed defectu vatis perquam exile. Quod unum hic poterat, advo- vebat illi Tithonios annos & Nestorea secula; sed heu! quam irritis votis & vaticinio quam fallaci! non lastrabit hoc Eucharisticon, nec clien- tis vota percipiet, in senecta quidem uberi sed immatura nobis ereptas Mecenatas, nisi divinis fortassis è cælo sensibus, quod jam dudum mereba- tur. Invidit tantum terris Heroem, & hunc sibi cælum repoposcit; ut glorioissimo Xaverii sui contubernio frueretur defunctus, cuius propa- garat & honorem vivus & virtutes erat simulatus. Abstulit hoc ca- put

put Metropoli, extinxit lumen hoc Belgio; ut reponeretur inter astra, qui  
ad omnem normam Religionis ita suis præfulsisset. Translatus est igitur eo anno, quo sacerdotii jubilæum ingrediens perfecerat Aram  
CrVesenIVs RVMoLDDo: pro mercede sedes aureas CrVesenIo  
RVMoLDVs exoravit, ut jubilem inter Beatos decem lustrorum illic  
sacerdos, ubi anni non deficiunt, nec funeribus permiscentur. Nos interim  
hanc tesseram grati in illum animi suppressimus? Imò dedicabimus  
translato perinde ac superstiti, defuncto non secus atque etiamnum vi-  
venti. Parasitorum est, oculis dumtaxat & auribus servire, vel, quod  
ajunt, palpum dare. Et verò sic erepta est Patriæ hæc gemma Pra-  
fulum, ut rectè factorum supersit splendore, atque in molibus suis, suo-  
rumque medullis in perpetuas annorum series sit superfutura. Hæc te,  
Lector, in fronte libelli monitum volebam; ut eā mente, quā vulgamus,  
hæc evolvas; &, cui in calce brevi næniā parentabimus, jubilum, si  
viveret. daturi, apprecessis & valeas.